

blica stantem globulo trajecerit; quo casu, si dominus diverso-
 rii gauderet jurisdictione circumsepta, æque ac alter, cui jurisdic-
 tio universalis competeret, tanquam judex delicto competens
 cognitionem vindicationemque commissi homicidii sibi asserere
 potest, ita ut inter illos ceu concurrentes præventioni locus
 relinquatur, uti in iisdem terminis aliquando Magnif. Jctorum
 ordinem hujus Viadrinæ consultum respondisse scio. Eo-
 dem modo si in confinio delictum commissum & occisus ibi re-
 periat; in dubio utriusque cognitio est *Dn. Brunnem. pr. inquis.*
d. C. 3. n. 19. Carpz. Pr. Cr. P. 3. Qu. 110. n. 37. Quicquid Dd. de situa-
 tione capitis aut pedum dicant; quos allegat *Dn. Brunn. in Comm.*
ad ff. l. 44. de Rel. & sumpt. Fun. n. 2. Cæterum si in territorio Titii
 mortifere vulneratus in territorio Gaji moriatur, solus Titius
 est judex *arg. l. 15. §. 1. in fin. & l. 51. pr. ff. ad. L. Aquil.* Civiles ve-
 ro actiones ex delicto tantum in loco consummati delicti insti-
 tuuntur *arg. l. 1. C. Ubi de Crim. v. gr.* Actio injuriarum institu-
 enda est, ubi injuria inscriptis insinuata, non ubi scripta Berlich.
P. 2. D. 181. Sic etiam ubi mandatarius delictum perpetravit;
 mandans conveniendus, non ubi mandavit *Zæf. in comm. ad ff.*
de Jud. n. 75. Tribuit proinde delictum jurisdictionem in delin-
 quentem etiam judici extraneo *Gail. de Pign. Obs. 3. n. 11. & Obs.*
14. n. 3. & Obs. 15. n. 2. & 3. Idem de Arrest. cap. 7 n. 12. l. 3. ff. de Off.
pres. Auth. Qua in provincia C ubi de Crim. licet delinquens ma-
 jori præfulgeat dignitate, quia omnem honorem reatus excludit,
L. 1. C. ubi sen. vel clariss. aut privilegium habeat, quod non nisi
 sub certo judice conveniri queat *conf. Besold. Dissert. de Process.*
Jud. Cap. 1. §. 13. Vel jus de non evocando à judice domicilii allegetur:
 ea enim privilegia non prosunt criminosis, neque fori com-
 petentiæ ex delicto derogant, vel reos remittendi necessitatem
 infligunt *Mev. p. 2. Dec. 4.* Ex quo inferimus quod nobilis im-
 mediatus propter delictum commissum à territorii domino, ubi
 delictum commissum, recte prehendi, & puniri possit *Wehn. in*
Obs. Pract. Voce Landes-Fürstliche Obrigkeit.

XV. Generaliter quoque verum est, rem de cujus posses-
 sione aut proprietate agitur, subdicere possessorem cujuscun-
 que